



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 38. Carpii electionem evertendi rationes a Thesaurario allatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

mopere addictum, atque Hispanæ fa- Sæcul. XVI.  
 ctionis Principem eo inclinaret, ut Car- A.C. 1559.  
 pii electionem præpediret: eapropter  
 Cosmæ pollicebatur, quod vicissim om-  
 nem ipse operam impendere velit, ut  
 Medicæus, vel Hercules Gonzaga vulgo  
 Cardinalis Mantuanus, quos ambos  
 Dux omnibus studiis amplectebatur,  
 eligerentur. Annuit Cosmas huic pro-  
 positioni, moxque datis ad Thesaura-  
 rium literis eidem omnia sua patefecit  
 consilia.

## §. XXXVIII.

*Carpîi electionem evertendi rationes  
 a Thesaurario allatæ.*

Itaque Thesaurarius Cardinalis non  
 modo Florentiæ Duci obsequendi stu-  
 dio incitatus, sed etiam privati commodi  
 rationibus permotus Carpîi electionem  
 minus sibi acceptam habebat; cum enim  
 nuptiæ inter Carpîi sororem, & The-  
 saurarii Fratrem agitarentur, hucusque  
 vero nonnisi pollicitationes utrinque  
 fuissent factæ, verebatur Thesaurarius,  
 ne Carpîus Vir multum ambitiosus, si  
 in Papam eligeretur, Sororem suam in  
 nobilius adhuc connubium collocare me-  
 ditaretur, cui indignationis causæ ad-  
 huc alia accesserat; quippe Carpîus  
 olim Bituricensem Cardinalem ad de-  
 functum Pontificem ablegavit, ut de  
 X 2 omni-

Sæcul. XVIA. C. 1559.

omnibus rationem redderet, quæ in eius Palatio, dum Cardinales Cæsarei de Lottini ad Imperatoris partes accedentis captivitate admoniti ibidem hærebant, gesta fuissent: Insuper Thesaurarium clandestina Petri Stozzii minime latebant consilia, quibus is Connestabulis patrocínio suffultus Carpium Franciæ Regi reconciliare moliebatur: præterea ob Carpiensem Comitatum Longobardiam belli flammis accensam compererat, simulque Carpiensem Cardinalem tanquam Virum vindictæ cupidum, sibi que adversantibus ignoscere nescium reputabat: his igitur cunctis rationibus expugnatus Thesaurarius censebat, quod pro familiæ suæ salute, boni publici incremento, necnon Hispaniæ Regis, cui addictissimus erat, obsequio omnino opus foret, ut Carpii electione præpedita Medicæus nominaretur, eo potissimum nomine, quod in hac rerum vicissitudine Cosmæ voluntati obsequi, Thesaurario consultissimum foret: arrepto igitur hoc consilio Thesaurarius rem cum Fratre suo maturius perpendebat, ac Ferrariensi Cardinali significabat, quod ad exequenda Florentiæ Ducis postulata paratissimus esset: nihilominus præter omnem expectationem, priusquam Thesaurarius sua consilia patefacere tenebatur, Carpius a  
Pon-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

Pontificatu ob inopinum eventum ex-  
cludebatur; cum enim Farnesius, &  
Tridentinus Cardinales ex toto sacro  
Collegio ceteris auctoritate, atque me-  
rito prævalerent, ac Thesaurarium in-  
ter Hispanos primas partes agere indi-  
gnarentur: ideo hac ex causa ejus con-  
silia evertere satagebant, unde ejus-  
modi dissensionis fomite vehementer  
Cardinalium animos in diversa studia  
scindebant, ac præcipue turbidam hanc  
rerum vicissitudinem Ferrariensis Car-  
dinalis in rem suam vertens suos ami-  
cos sollicitabat, ut Cardinales Carpio  
faventes ad mutandam animi senten-  
tiam inducerent: cumque rem paulo  
vehementius urgeret, suis consiliis op-  
portune colludentem habebat repulsam,  
qua Farnesius, & Tridentinus Carpio,  
quamvis ejus electionem desiderarent,  
sua studia impendere recusabant: cum  
igitur Carpius in utriusque hujus Pur-  
purati opera plurimum confideret, post-  
quam utrumque sibi haud ultra suffra-  
gari compererat, de felici electionis  
sux successu desperare cœperat, quin  
imo nec amplius alios sibi Patronos con-  
ciliare meditabatur; cum aliunde om-  
nes illius conatus certo certius in irri-  
tum cecidissent, eoquod ceteri omnes  
Farnesii, & Tridentini Cardinalium  
exemplo incitati pariter in re, quam

X 3

nullo

Sæcul. XVI. nullo amplius remedio sanandam exi-  
A. C. 1559. stimabant, operam suam impendere  
 recusarent.

## §. XXXIX.

*Carpus a Pontificatu omnino exclusus.*

**U**t Thesaurarius sese tueretur, eodem  
 omnino obtentu utebatur, inquiens,  
 quod uni soli favere haud posset; cum  
 omnibus ab Hispaniæ Rege nominatis  
 suum patrociniū impendere teneretur,  
 quinimo si nimium aperte Carpii  
 causæ fuisset suffragatus, nova, quæ  
 inter eos cuduntur, consilia sat intem-  
 pestive prodidisset, cum jamjam quidam  
 de hac conjunctione dubitare inciperent,  
 ut proinde improvido hoc consilio se-  
 metipsum ceteris suspectum reddidisset:  
 Cum ergo hac ratione a Carpio duo,  
 iique potentes Patroni deficerent, Fer-  
 rariensis Cardinalis illum penitus a Pa-  
 patu excludendi medium excogitabat,  
 quod certe antea aggredi ausus non  
 fuisset, cum Cardinalium plures Car-  
 pii electionem vix non certam rati ve-  
 rerentur, ne invitis ipsis ad supremum  
 Ecclesiæ apicem eVectus haud parum  
 rancoris in animo suo retenturus esset:  
 nunc autem Ferrariensis Cardinalis,  
 cum excluso Carpio omnes sibimetipsum  
 favere cerneret, propria sua commoda  
 haud negligenda censuit, unde ad pro-  
 sperum